# QUAESTIONES
CIRCA
# DIABETAE PATHOGENIAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE VII. M. APRILIS A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.
*PUBLICE DEFENDET*
AUCTOR

*G. T. G. E. SCHWENGBER,*
*SILESIUS.*

*OPPONENTIBUS:*
W. PRITZKOW, MED. ET CHIR. DR.
S. BIRKENFELD, MED. ET CHIR. DD.
C. WEDDING, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

# Introductio.

Inquirentes in morborum nonnullorum pathogeniam, scriptores haud raro miras hypotheses venari et argumenta e longinquo petita apponere videmus, ad dilucidandam rem, cujus vera indoles obiter meditantibus vix occultetur. Haec autem perversa hominum ratio est, ut alii, quae propinqua sunt et in oculos quasi incurrunt, temere negligant atque abjiciant, quae longinqua, cupidissime appetant; alii, idiotismo ducti, ea vilipendant, quae omnibus facile intelliguntur. Causa in eo cerni videtur, quod partim accidentalia habeant pro essentialibus, vel aliorum meritis obtrectantes, suae tantum famae et gloriae inservire gestiant. Exemplo sit morbus, non nimis quidem creber, sed gravis ac deleterius, diabetes, cujus in pathogeniam nonnulla argumentari perictabimur. Qui leviter intueatur hypotheses, de hoc morbo propositas, omnes fere auctores non modo in describenda ejus natura, sed

sede etiam, a probabilitate quam longissime aberrasse, mirabitur. Quis enim est, qui nulla renum habita ratione, diabetae focum in organorum chylopoëticorum systemate 1), causam in hepatis dynamica aut organica labe 2), in cutis et pulmonum nimia resorptione 3), in vasorum lymphaticorum motu retrogrado 4), in veneno specifico 5), hydrophobico haud absimili, vel in aliis quibuscunque rebus ponat? Pauci tantum pathologi diabetae sedem vel in vasis renalibus 6), vel in ipsis renibus 7), collocandam censuerunt, iidemque non semper ea, qua debebant, perspicuitate sententias suas imbuerunt, causam haud raro confundentes cum effectu. Proinde operae pretium me facturum arbitror, si, examinata diabetae natura, quaenam symptomatum primitiva ac necessaria, quae secun-

---

1) Rollo, Abhandl. des diabetes mellitus; herausgegeben von Heidmann p. 455 sqq.
Cullen, kurzer Innbegriff der Nosologie. Bd. III, pag. 576.
Haase, Erkenntniss u. Cur d. chron. Krankhtn. Bd. II. §. 255.

2) Gantz, Dissert. de diabete. Jenae 1770.

3) Kausch, Med. chir. Erfahr. in Briefen. pag. 299 sqq.
Wolff, Horn's Archiv für med. Erfahrgn. Bd. II. Hft. 2. p. 496.

4) Sämmtliche auserles. Abhandl. f. pract. Aerzte. Bd. VI. p. 273.

5) P. Frank, Grundsätze üb. d. Behandl. der Krankhten d. Menschen, a. d. Latein. übers. Mannheim 1795. Bd. V. §. 481.

6) R. A. Vogel, praelect. academ. de cognosc. et curand. corp. affect. pag. 367.

7) Baillie, cf. Rollo l. c. pag. 163.

daria sint et consecutiva, dirimere morbique pathogeniam et simpliciorem et probabiliorem condere studeam. Neque varias theorias, quas profitentur medici, singulari submittam examini, nec de diabetae antiquitate disseram, sed in fontem, ex quo certa ac perpetua morbi symptomata possint derivari, succincte inquiram.

---

## §. 1.

Diabetem definire solent continuam atque immodicam urinae abnormis secretionem et excretionem, quam universi corporis tabem sequatur 8). Quemadmodum autem catarrhus non in muci secretione, sed in tunicarnm muciferarum affectione inflammatoria, aut subinflammatoria, cernitur, quam laxitas et atonia excipere possunt, ita enorme urinae profluvium pro diabetae symptomate, non pro morbo ipso est habendum. Necesse igitur est, diabetae nomen in eam vel renum vel alius visceris aegrotationem deferri, quae non solum lotii alienationem et immodicam secretionem, sed reliqua etiam symptomata diagnostica profert; quam aegratationem ut cognoscamus, tam morbi formam, quam causas et mutationes in cadaveribus repertas intueamur atque perpendamus oportet.

---

8) Haase. l. c. §. 240.

§. 2.

Symptomata, quae unanimi recentiorum medicorum consensu diabetae adscribuntur, haec fere sunt: dolores obtusi, vel prementes, regionis lumbaris, aut juxta spinam dorsalem adscendentes, vel ad femora et crura descendentes; oris siccitas, lingua alba, marginibus rubris nitidis conspicua, gingivae tumidae, rubicundae, paulatim rarescentes foetoremque spargentes; esuries continua, sitis ingens, inexplebilis; pulsus concitatus, frequens, quippe qui octogies vel nonagies intra horae minutum micare soleat; corporis languor ac dedolatio, maxime artuum inferiorum, exercitationum laborumque fastidium, animi intemperies, tristitia, solitudinis amor; cutis arida, rigida, ardens, nonnunquam squamosa, velut herpete obsessa; partium genitalium languor et flacciditas, Veneris desiderium nullum, impotentia virilis, excoriationes praeputii glandisque penis, interdum tumor et phimosis, mulieribus dolor infestus circa urethram; somnus irrequietus, siti et mingendi cupiditate saepius interceptus; lotii indoles copiaque alienatae: urina enim pallida, limpida, coloris straminei, vel dulciuscula (diabetes mellitus), vel odoris saporisque expers (diab. insipidus), vel lacti similis (diab. lacteus), moles plerumque tanta, ut ingestorum copiam superet (quod quidem Rollo non observavit), in-

terdum non aucta quidem, sed saccharina (diabetes decipiens), quo fieri dicit Petrus Frank, ut medicus de diabete haud meditetur, sed erroribus implicetur. Lotii quoque elementa mutantur, inprimis acidum uricum et ammonium diminuuntur; evaporata diabeticorum urina saccharum obtineri, satis constat. Sub his corpus macrescit, vires prosternuntur, febris hectica supervenit, deliria apparent blanda, alvus antea obstructa solvitur et diarrhoeae cedit colliquativae, neque raro hydrops ascites, anasarca et similia oriuntur. Est quoque, diabeten ab exordiis cum febri manifesta consociari cursumque rapidiorem absolvere 9); ut plurimum longus est morbus, pedetentim increscens, saepe remittens, imo adeo, ut videtur, intermittens ita quidem, ut medici decepti valetudinem integram rediisse opinentur.

## §. 3.

Morbo tam gravi consensualia excitari symptomata, quae multis essentialia ac necessaria videantur, non est quod dubitemus. Huc singulares ventris et pectoris affectiones pertinent, ut colici dolores, ardor et acescentia primarum viarum, spirandi difficultates cum tussi sputisque mucosis

---

9) Knebel, Materialien zur theoret. und pract. Heilkunde. Breslau 1800. Bd. I.
Dobson, Miscellan. nat. curios. Dec. I. annot. 2. obs. 167.

tenacibus, quae symptomata nonnullis persuaserunt, pulmones in diabete magnas agere partes 10); odor dulciusculus nauseosus totius corporis, inprimis spiritus 11), vox mutata, rauca, saepe tenuissima, cujus phaenomeni causa in partium genitalium labe collocanda videtur, quum intimus systematis sexualis et vocis organorum consensus satis sit cognitus; dolor faucium ingens, continuus, absque inflammatione, ulcuscula linguae et labiorum (aphthae?); bulimia, fames canina aut lupina; animi deliquia, rel.

## §. 4.

Quum mutationes in cadaveribus repertae ad illustrandam morborum naturam plurimum veleant, scire interest, quaenam inventa sint in hominibus diabete exstinctis. Nonnulli quidem parum aut nihil alieni deprehendi asserunt 12), his autem alii refragantur, viscerum variorum, imprimis renum, manifestas mutationes reperiri, testantes. Renum substantia modo inflammata, vasis ditissima, modo rara, pallida, mollis, flaccida 13), modo materia albida puriformi impleta 14), modo tabida, materiis

---

10) Rutherford; cf. Rollo. L. c. pag. 169,
11) Reil, Erkenntniss u. Cur d. Fieber. Bd. III. pag, 470.
12) Haase. L. c. §. 247.
13) Cleghorn, cf. Rollo. L. c. pag. 290.
14) Baillie, ibid. pag. 163.

calculosis referta 15), apparet; ambitus renum nunc minor 16), nunc multo major solito; pelvis renalis amplificata; ureteres distenti, intestini ad instar dilatati vel attenuati et fere consumti; vasa renalia laxa, ampliora, friabilia; vesicae urinariae membranae crassiores, fere callosae. Pauci quidam nullam renum alienationem se invenisse tradunt 17), quod vix et ne vix quidem mirabimur, si, cadaverum sectiones non ea semper, qua par erat, diligentia institutas, praeterea vero diabetae proximam causam in variis visceribus poni solitam itaque renum accuratiorem indaginem saepe neglectam esse, meditamur. Aliarum partium mutationes, vel ipsi diabetae, vel morbis cum eo conplicatis originem debentes, breviter memorabo. Pott 18) omnia corporis ossa emollita, Home alveolos detritos, invenerunt; Mends 19) hepar vitiosum, velut steatomate corruptum, semper sibi apparuisse dicit; Marshal 20) sanguinem odore acido dulciusculo imbutum, tenuioris socolatae colori similem, reperit; eundem colorem musculi et aliae partes, alioquin rubicundae, obtulerunt; in vena subclavia sinistra chylus a sanguine segregatus apparuit, tanquam lac-

15) Reil, l. c. pag. 484.
16) Thomas, cf. Rollo, l. c. pag. 400.
17) Pearson, ibid. pag. 350.
18) Philosophic. transact. 1753. No. 459.
19) Knebel, l. c. Bd. II. pag. 88 sqq.
20) Cf. Rollo, l, c. pag. 382.

tis cremor tenui socolatae esset additus. Nonnulli glandulas mesaraicas 21), tunicam intestinorum villosam, pulmones aliaque organa vitiosa deprehenderunt.

§. 5.

Quae si complectimur, sat argumentorum nobis suppetere videtur, ad stabiliendam diabetae pathogeniam et rationi et observationibus consentaneam. Pendere enim putamus hunc morbum ab inflammatoria renum affectione, causis specificis inducta, quae per varios ludat gradus, raro autem ad exquisitam inflammationem provehatur. Quum theoria tanto majorem probabilitatem atque dignitatem abtineat, quanto faciliorem omnium morbi symptomatum explicationem admittat, id operam dabimus, ut diabetae symptomata diagnostica et perpetua ab illa renum inflammatoria affectione deducere periclitemur.

§. 6.

Nunquam disiderari diximus dolores obtusos, prementes, distendentes, regionis lumbaris, non modo juxta spinam dorsalem adscendentes, verum etiam ad femora et crura descendentes, quandoque per ventris cavum dimanantes colicamque affectionem aemulantes. Errant, qui a renum spasmo vel ere-

21) Home, cf. Rollo. pag. 423.

thismo illos dolores derivandos censeant: spasmus enim urinae secretionem cohibet, erethismus vel spasmum infert, ergo eundem praestat effectum, vel symptomaticus tantum accedit ad inflammationem. Per experientiam satis est confirmatum, morbos renum inflammatorios non modo artuum inferiorum dolores, stuporem et languorem, sed etiam, praecipue si diuturniores seu chronici sint, colicas affectiones, nauseam, vomituritiones, vomitum, excitare. Erunt etiam, qui dolores prementes, obtusos, minus apte cum inflammationis notione conciliari posse dicant; at vero dolores omnium organorum glandulosorum et spongiosorum per exiguam eorum sensibilitatem, leviores sunt, quod chronicae pulmonum, lienis, hepatis rel. inflammationes probant; ceteroquin longiori inflammationis exilioris decursu paulatim hebescunt dolores indolemque primitivam exuunt. Saepius post mortem ulcera inveniri in tubo intestinali, quorum symptomata, vivo corpore observata, spasmo magis quam inflammationi imputabantur, nemo ignorat.

## §. 7.

Omnium symptomatum gravissimum, unum fortasse, quod a diabete nunquam abesse possit, in alienata uropoësi cernitur. Quod mirum! soli renes conficiendae urinae sunt dicati, et, si omnia alia deficiant, hoc certe signum nobis persuadebit,

morbi, de quo agitur, sedem renibus esse assignandam. Lotium et copia et indole recedit a norma. Primum de copia disseramus, quae sane enormis esse solet, ita quidem, ut, si vera referunt scriptores, viginti, triginta librae et quod excurrit, singulis diebus mingantur. Nullam hoc phaenomenon recipit explicationem, nisi a renum irritatione derivetur, quippe qua eorum secernendi facultatem adaugeri oporteat. Hoc eorum remediorum effectus probant, quae diuretica nobis dicuntur, horum enim ne unum quidem est, quod non irritet; quo sunt acriora, eo majorem renum irritationem eoque uberiorem diuresin inferunt. Irritationem inter et inflammatoriam affectionem, quam subinflammatoriam dicunt nostrates, nihil discriminis intercedere putamus, quod indolem attinet; levissimae enim irritationis in exquisitam inflammationem transitum promtissimum esse, novimus. Fieri demum non potest, quin irritatio quaeque, si sustineatur, viribus vitalibus magis magisque exaltatis, ad eum evehatur gradum, qui ab exquisita inflammatione propius abest. Mictus igitur auctus fereque continuus non accidentale, sed necessarium diabetae symptoma exhibet, etenim unaquaeque inflammatio, quum vim intendat vitalem, proprias partium functiones adauget; hinc ineunte catarrho sputa redduntur, incipiente ophthalmia lacrymarum stillicidium oritur, rel. Exquisita tantum inflammatio

secretiones et excretiones restringit, vel suspendit, propterea quod vasa tenuissima, secretionibus praefecta, silito more tantum liquidiores et perspirabiles humores vehentia, sanguine rubicundo, spisso, opplentur partimque hoc impedimento, partim organorum affectorum tumore, duritie, tensione, viae secretoriae et excretoriae obturantur. In diabete renum inflammationem per varios ludere gradus, raro autem abire in exquisitam, supra annotavimus; est igitur, quod urinae secretionem uberiorem sustineat: irritatio subinflammatoria; deficit, quod impedimenta ei objiciat. Si diabetes existit d e c i p i e n s, Petro Frank dictus, quippe quo urinae copia normam haud excedat, renum inflammationem nonnunquam majorem assequi gradum, quo copiosior secretio prahibeatur, largiamur necesse est. Unde petatur tanta urinae moles, quantam dejiciunt diabete laborantes, si quis interroget, haec teneat velim: siti fameque continua, tam fluidis, quam solidis alimentis corpus obruitur, quorum plurima pars, adaucta renum vi secretoria, in urinam mutatur eoque modo reproductionis opus prosternitur. Si verum est, quod plures affirmant, Rollo 22) autem negat, lotii missi copiam ingestorem molem haud raro longe superare, causam in eo collocandam arbitramur, quod universum corpus, licet enormes ciborum potuumque portiones hauriantur, in dies

22) L. c. pag. 460.

macrescat et consumatur. Plus minus ergo solidarum liquescit et liquefactum corpore expellitur, ita quidem, ut, cutis transpiratione suppressa alvoque adstricta, renes viaeque uriniferae secretione et excretione fungantur. Quamobrem opus non est, ut iis adstipulemur, qui aucta cutis et pulmonum resorptione majorem particularum aquearum molem corpori advehi et per renes iterum secretam lotii copiam praeter modum augere contendunt.

§. 8.

Dicendum nobis est de urinae indole, quae pariter atque copia mutatur. Medici diabeten insipidum, mellitum et lacteum discribunt, quorum discrimina in varia lotii natura ponunt. In diabete insipido, qui multo rarior est mellito, urina nec dulcedinem sapere, nec saccharum praebere dicitur. Cullen 23) et Reil 24) diabeten insipidum pro diabete habendum esse negant, quum partim symptoma deficiat diagnosticum (saccharum), partim omnes observationes, a scriptoribus traditae, incertae sint atque ambiguae. P. Frank 25) in diabete insipido principium saccharinum magis animalisatum, quam in mellito, Haase 26) et Henke 27) modo

23) L. c. pag. 327.
24) L. c. pag. 478.
25) L. c. §. 481.
26) L. c. §. 249.
27) Handbuch d. spec. Pathologie. Bd. II. pag. 287.

unum morbi momentum, dynamicum, non alterum, chemicum, consummatum esse, contendunt. Res duplici modo potest dirimi: diabetes insipidus vel a simplici renum irritatione, aut subinflammatoria affectione pendet, itaque cum diabete nihil habet commune; vel, quod probabilius est, medici urinam examinaverunt in intermissionibus, quas diabetes haud raro offert, eoque modo decepti singularem diabetae speciem putarunt insipidum. Certiora de diabete mellito innotuerunt: lotium plerumque pallidum, limpidum, colore stramineo insigne, non nunquam jumentosum, serosum, flavo viridiusculum, secedit, odore et sapore dulciusculo excellit, multo tardius (post quartum et vicesimum diem?) putrescit, evaporationi submissum materiam reddit mellagineam spissiusculam, crystallos non formantem, fermentationi vinosae acidae obnoxiam.

Secretorum non modo copiam, sed indolem quoque mutari inflammationibus, omnes persuasum habemus; interrogare autem licet, numne urina, renibus inflammatis secreta, rubra magis ac saturata apparere debeat, quam pallida, limpida, diluta? Sane illud evenit, si parcior est secretio, quia multum particularum aquearum, sivé serosarum, deficit, v. c. in nephritide exquisita. Alia vero diabetae ratio est: non exquisita viget inflammatio, sed irritatio subinflammatoria, ad continuam secretionem renes incitans; quo largiora secreta, eo tenuiora et

aquosiora sint necesse est, quia non sat temporis iis conficiendis impenditur. Confirmatur nostra sententia catarrho, quo ineunte tunicae mucosae secretum uberius ac tenuius edunt, ingravescente autem inflammatione nihil reddunt. Irritationem renum inflammatoriam, de qua disseritur, interdum majorem adipisci gradum, imo in suppurationem abire, diabetes decipiens et lacteus testantur; in lacteo enim non chylum, sed pus lotio intermixtum esse judicamus. Nulla de re magis dissentiunt scriptores, quam de sacchari, quo diabeticorum urina abundat, formatione. Haase 28) quidem, experimentis innixus, a Kirchhof, Schrader et Doerffurt institutis, extra omnem dubitationis aleam positum putat, saccharum non in renibus formari, sed in tubo intestinali, succo scilicet gastrico et enterico hyperoxydatis cum nutrimentorum ingestorum amylo conjunctis. Quid autem sibi vult haecce theoria? alii processus sunt mere chemici, alii chemico vitales! Si vera tradit Haase, quidni saccharum per anum excernitur, sed per vias uriniferas; quidni formatio ejus suspenditur, si sola nutrimenta animalia, nihil amyli habentia, hauriuntur; quidni denique saccharum paratur iis in morbis in quibus nimia succorum entericorum aciditas manifestissima exstat, v. c. morbo scrophuloso? Sacchari formationem

---

28) L. c. pag. 254.

explicari non posse renum inflammatione, ingenue fatemur, rem autem non tanti esse momenti, quanti soleat putari, persuasissimum habemus. Saccharum in sanorum sanguine haud reperiri, satis constat, at nihilo secius lac in mammis secretum saccharo abundat; quis modum, quo ille processus eveniat, unquam illustrare conatus est, quis indagare studuit, quanam ratione omnia secreta specifica conficiantur? Quae cum vix unquam explicari posse videantur, sacchari formationem in morbo diabetico omni explicatione majorem existimamus. Mittamus ergo hanc quaestionem, id tantum adjicientes, principium saccharinum, diabeticorum urinae insitum, haud dubie in renibus secerni causamque ponendam esse in specifica affectionis inflammatoriae indole, de qua infra verba faciamus.

## §. 9.

Minus ab aliena lotii natura, quam continua diuresi pendere videtur aliud symptoma, quod plerumque in diabete observatur: tumor, inflammatio et excoriatio praeputii et glandis penis, dolor circa orificium urethrae. Urinam incitare partes, quas permeat, vix est quod moneamus; mucus ab interna urethrae et praeputii membrana secretus impedit, quominus irritatio gravior sit damnumque inferat. Aucta fereque perpetua diuresi, mucus ille non satis sufficit ad temperandum lotii incitamentum, quo

fit, ut partes, quas urina alluit, magis magisque lacessantur et inflammationi submittantur. Irritatio praecipue fossam navicularem et praeputium offendat necesse est, quippe quae majori glandularum muciferarum numero itaque uberiori vasorum et nervorum copia muniantur.

§. .10

Veniendum est ad corporis tabescentiam; quamquam enim aegroti maximam ciborum potuumque molem ingurgitant et digestionis opus longum per tempus integrum apparet, macilentia tamen in dies manifestior evadit, donec partes adeo consumantur, ut praestandis functionibus impares sint. Noli autem saccharum culpare, quod alimenta corpori subducat, sed immodicam urinae secretionem et excretionem; haec ipsa enim non solum plurimam ingestorum partem, verum etiam solidas materias, aucta resorptione liquefactas, aufert. Provocamus ad alia profluvia, diarrhoeas, blennorrhoeas habituales, rel., quae pariter ac diabetes nutritionem labefaciunt, macilentiam tabemque inducunt.

§. 11.

Cum hac corporis tabescentia intimum commercium alunt sitis atque esuries insatiabiles, quibus diabete laborantes torquentur. Natura famem sitimque excitando compellit homines, ut materia-

rum defectum sarciant; nam quae secretionibus et excretionibus deperduntur, nonnisi ingestis alimentis possunt reparari. Quum in diabete, enormi principii alibilis et materiarum liquefactarum excretione, summus substantiae organicae oriatur defectus, fieri non potest, quin perpetuum ciborum potuumque desiderium vigeat. Quaeque inflammatio per naturam suam efficit sitim, multo majorem ea, quae immodicum fluidorum et solidorum dispendium gignit. Recte igitur Reil 29) materiarum organicarum defectum et desiderium, ait, famis atque sitis imagine per coenaesthesin animae obtrudi. Quam ob rem idem observamus in aliis morbis, cum nimia substantiarum consumtione junctis, seu tabificis, v. c. phthisi pulmonali, abdominali, dummodo digestionis instrumenta operi suo ex parte satisfacere queant. Non audiendi sunt, qui sitim et famem continuam a specifico veneno, quod vasa lymphatica incitet, resorptionem praeter modum intendat totumque corpus exsiccet 30), aut a succo gastrico et enterico hyperoxydatis 31) deducunt, quibus et ventriculi et intestinorum nervi perpetuae submittantur irritationi.

---

29) L. c. pag. 462.
30) P. Frank. L. c. §. 481.
31) Haase. L. c. §. 253.

## §. 12.

Levioris momenti gingivarum mutatio forsitan videbitur, sed non est, quippe quae nexum non minus necessarium alat cum diabete, quam sitis, fames, macilentia. Gingivas rubere, tumere, foetere diximus, quod minime a nimia succi gastrici aciditate (quid enim rei gingivis est cum succo gastrico?), sed a cachexia quadam scorbutica repetendum ducimus. Quaque secretione copiosiori plasticae inprimis materiae auferuntur sanguini, defectus quam celerrime sarcitur promptiori resorptione; recens autem paratus sanguis non ea perfectionis nota gaudet, qua partes deperditae; quo diuturnior haec citissima secretionis et resorptionis vicissitudo, eo magis sanguinem dilui eamque indolem obtinere oportet, quae propria est scorbuto. Hinc evenit, ut partes solidae, quibuscum sanguis bene oxydatus debita incitamenta vitalia communicat, parum incitentur, flaccescant et chemismo subigantur, qui solutionem et destructionem earum molitur. Gingivae facilius reliquis partibus chemismi imperium experiuntur, quod non solum paucioribus nervis, ergo exiliori vita praeditae, verum quoque chemicis incitamentis, aëri, cibis, potibus, rel. maxime sunt obnoxiae. Nec gingivae tantum, sed alia etiam solida, imo musculi, diabete provectiori rariores, flaccidiores, quasi friabiles, redduntur;

sanguinis naturam scorbuticam in cadaveribus esse repertam, supra posuimus.

§. 13.

Neminem ignorare putamus, diabeten mellitum morbis deleteriis, imo insanabilibus, plerumque interponi; recte quidem, nam quae Rollo et alii de diabete feliciter propulso tradiderunt, magis ad intermissiones, quam perfectam sanationem referenda videntur, quoniam recentiorum observationibus comprobata non sunt. Haec forsan suspectam reddent nostram theoriam, quum renum affectio subinflammatoria vix insanabilis possit existimari. Perperam vero! diabeten per se quidem periculosissimum, minime autem inexpugnabilem judicamus; iniquus curationis eventus partim imputandus videtur ipsi medendi methodo minus aptae, quam artis salutaris professores, variis irretiti erroribus, hucusqne secuti sunt, partim singulari diabetae causae, quae, licet in aprico positam existimemus, communibus remediis non cedit. Denique pro explorato habemus, inflammationes lentas vix non periculosiores esse exquisitis, etenim tardius quidem, sed certius ad eosdem provehuntur exitus malignos methodumque antiphlogisticam suspensa manu administrari jubent, quam exquisitae plenissimam recipiunt.

## §. 14.

In immensa medicaminum farragine vix unum est, cujus vires ad sanandum diabeten medici non sint periclitati; at parum aut nihil profecerunt. Omnes tamen consentiunt, victum animalem aegrotis esse saluberrimum, vegetabilem inimicissimum. Res intellectu facilis est: omnia vegetabilia plus minus incitamenti exserunt in renes, inflammatoriam irritationem intendunt, lotii secretionem augent; animalia nihil horum proferunt, e contrario plus alimenti corpori suppeditant, materiarum defectum promtius sarciunt, vires sustinent. Haud dubie errant, qui vegetabilia mucilaginea, emulsiones, rel. diabetae incrementa afferre dicant, etenim haec omnicuique renum irritationi et inflammationi optime respondent, quum demulceant, stimulos involvant, urinam mitiorem reddant. Nonnulli eo temeritatis processerunt, ut tincturam cantharidum, alkalia similiaque, non modo diuresin maxime augentia, sed etiam nephritidem proferentia, commendaverint. Opii virtutes fere omnibus laudantur, quod nostrae sententiae nihil repugnat; opium enim, nervorum erethismum demulcendo atque intemperiem mutando, inflammationibus chronicis erethisticis bene respondet; inprimis autem salutares effectus, quos in diabete observamus, a vi ejus diaphoretica repetendi sunt. Instaurata nimirum, vel adaucta cutis transpiratione, per antagonismum, qui renes

inter cutemque intercedit, incitamenta ab illis ad hanc derivantur; eandem ob causam balnea tepida aliaque diaphoresin moventia salutifera sese praestant. Si quid dignitatis hydrargyro muriatico miti largiendum est, quod plurimi affirmant, novum idemque haud leve argumentum additur superioribus, nostram theoriam tuentibus. Tam pharmaceuticorum remediorum, quae retulimus, quam venaesectionum usus salutaris, quem experti sunt nonnulli 32), diabetae indolem nequaquam in succorum entericorum alienatione, sed in affectione inflammatoria cerni, certo certius probant.

§. 15.

Diabeten remissiones, imo nonnunquam intermissiones offerre, experientia docet, quae quomodo cum inflammatione possint conciliari, sciscitandum est. Confugientes ad analogiam, multis inflammationibus diuturnis hoc commune esse, videmus, licet modum explanare nequeamus. Ut exemplo utamur, animum attendamus ad phthisin pulmonalem, quae, quum plurimum inflammationis longae comes sit ac pedissequus, tantam symptomatum vicissitudinem exhibet, ut aegroti per intervalla ne minimas quidem difficultates conquerantur. Cujus periodismi causam in nervis ponendam esse opinamur, qui diuturna irritatione exhausti, per aliquod tempus quasi con-

---

32) Cf. Rollo. l. c. pag. 446. Anhang des Uebersetzers.

quiescant, donec, novis viribus collectis, pristina symptomata reducant. Mirum etiam videri potest, diabetae propria symptomata paulo ante mortem plerumque evanescere, cujus rei duplex est causa: vel renes ulceratione aut gangraena subacti omni privantur actione vitali, vel antagonismo inter organa secretoria sublato, colliquatio universa exoritur et quae antea per solas vias uriniferas secedebant, per cutem et intestinum rectum, diarrhoea et sudore profusis, excernuntum. Mali igitur ominis snnt diarrhoea et sudor sponte sua diabetae supervenientes, quia facilius ac diutius colliquatio per unam excretoriam viam, quam per omnes sustinetur.

§. 16.

Reliquum est, ut de causa specifica sermonem faciamus, quam diabetae subesse diximus. Systematis sexualis mutationes, quae a diabete nunquam absunt, causam satis indigitare, confidimus. Veneris desiderium utrique sexui exstinguitur, viris impotentia supervenit, mulieribus haud dubie concipiendi facultas perit. Quibus reputatis, suppressas partium genitalium actiones in viscera uropoëtica (renes) deferri, irritationem sive inflammatoriam affectionem specificam eorum excitare istoque modo urinae secretionem et indolem a norma abalienare, ratiocinamur. Adgrediamur argumentationem. Mirum inter plurimas corporis partes intercedit commercium, vel consensus vel antagonismus, quo fit,

ut partim irritatio a loco primitivo ad alia, vel propiora vel longinquiora, propagetur, partim suppressa alicujus organi functio ab altero suscipiatur et ad singularem ejus fabricam et dignitatem conformetur. Hoc commercium tanto majus et promptius est, quanto major texturae et functionis similitudo inter varias partes locum habet. Renes et virorum testes, quod structuram attinet, ejusdem sunt dignitatis, pertinent enim ad glandulas conglomeratas. Quaecunque nutrimenta et medicamenta in renes agunt, genitalia quoque incitant; omnia diuretica sunt aphrodisiaca et vice versa. Consensus et antagonismi vehicula sunt nervi, qui intimum inter viscera uropoëtica et genitalia interna nexum conciliant; plexus enim spermaticus, ad testes, ovaria et uterum descendens, majorem ramorum partem a plexu renali obtinet. Quantum illud inter renes partesque genitales sit commercium, lotii mutationes pubertatem excipientes probant: ante pubertatem nimirum, i. e. ante genitalium evolutionem, urina acidum benzoicum habet, quod absoluta pubertatis periodo disparet. Proinde non dubitandum videtur, testiculorum secretionem suppressam et in renes delatam diabetae causam suppeditare. Seminis quidem secretione mulieres destituuntur, at humorem aliquem secerni in ovariis, utero, vagina, praecipue inter coitum, vel manstuprationes, in aprico est; ceteroquin mulieres multo minus obno-

xiae sunt diabetae, quam viri, quoniam in horum partibus genitalibus manifestior constantiorque secretio locum habet. Suspicari forsitan licebit, suppressam lactis secretionem in mammis muliebribus ad diabetae causas esse referendam, quum mammae ad systema sexuale pertineant eodemque tempore, quo reliquae partes genitales, evolvantur. Compertum denique habemus, diabeten nec infantes, nec pueros, sed adultiores tantum adoriri, eam certissime ob causam, quod organorum sexualium functio, illis nondum exculta, supprimi nequit. Schirreff 33) quidem mentionem facit puellae duodecim annorum diabete correptae; experientia vero edocti scimus, puellas maturius pubescere, quam pueros, ita quidem, ut anno undecimo vel duodecimo interdum menstruentur, imo quandoque concipiant; praeterea Schirreff puellam, de qua agitur, admodum proceram fuisse tradit, unde de pubescentia ejus concludere possis.

---

53) Cf. Rollo, l. c. pag. 314.

# Vita.

Ego, Georgius Theophilus Gustavus Edmundus Schwengber, evangelicae confessioni addictus, natus sum anno millesimo octingentesimo quinto Strehlitziae, pago, prope Olsniam, Silesiae inferioris oppidum, sito, patre optimo Joanne Theophilo Henrico, verbi divini ministro, matre carissima Henrica Amalia Ernestina, de gente Uhtkeiana, quos adhuc a Deo incolumes mihi servatos esse, laetor. Inde a prima pueritia a patre eruditus, anno millesimo octingentesimo vicesimo quarto Vratislaviam missus sum, ubi, examine scholastico superato, mens. Nov. ej. a. in civium academicorum numerum almae literarum Viadrinae Vratislaviensis a beato Foerster, t. t. rectore magnifico, receptus et ab ill. Scheider t. t. decano ordinis philosophici, philosophiae studiosis sum adscriptus. Quo ex tempore quum per semestre studiis humaniorib. operam navassem apud beat. Andrée, t. t. medicor. ordinis decanum medicinae nomen professus sum. Hac in literarum sede horum illustrissimorum virorum lectionibus interfui:

Rohowsky de logice, introduct. in philos. et Cic. de div. libr.; Wachler de hist. univers.; Schneider de Caes. bell. Alex. et de Thucydide; Passow de Tibulli carminib. et de Taciti Agricola; Brandes de physice experimentali; Fischer de chemiae elementis, de chemia tam theoret., quam pract., pharmaceut., organica, de reagentibus chemicis; Lichtenstaedt de hodegetice med., de mat. med.; Treviranus de botan. element., adjunctis excursionib. botan., de demonstrat. et plantar. physiol.; Otto de osteol. et syndesmol., zool., de anat. corp. h. theor. et pract., comparat. et pathol., de hist. et physiol. foet. et de sectionib. forens. rite instituendis; Hemprich de physiol. corp. hum., de pathol. gen.; Barkow de entozoor. histor. nat.; Seerig de angiol.; Purkinje de psychol.; Klose de pathol. spec.; Seidel de medicaminib. e regno animali desumtis, de magnetismo animali; Wendt de morb. infant., de therapia spec., de syphilide; Henschel de medicinae hist. et plantar. physiol. comp.; Benedict de chir. gen. ac spec., de arte operandi et fascias rite applicandi, de instrument. chir. atq. ophthalmiatrice, nec non examinatorio chir.; Remer de methodo formulas med. rite concinnandi, de therapia gen. ac spec., de med. forens.; Betschler de arte obstetr., akiurgia.

In clinico chir. ill. Benedict, in obstetr. ill. Betschler, in medico ill. Remer duces mihi fuerunt.

Anno milles. octingentes. vices. nono Berolinum profectus, ab ill. Klenze, t. t. rectore magnifico, civib. academicis adscriptus, ab ill. Bartels, t. t. decano maxime spectabili gratiosi ordinis medici, in studiosorum medicinae numerum receptus sum. — Inde ab hoc tempore in clinicis medicis ill. Bartels et Barez, in clinicis chirurgicis generos. de Graefe et ill. Rust praeceptores habui.

Tentaminibus autem, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso, coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

# Theses defendendae.

I.

Utrum detur gonorrhoea syphilitica, diremtum non est.

II.

Syphilidem sine hydrargyro tuto sanari posse, non arbitror.

III.

Foetum in utero lue venerea affici posse, nego.

IV.

Consensus et antagonismus non solum nervis, sed etiam vasis efficiuntur.